tus. Proptereà potentes eſtis, vt benefici ſitis. Proptereà latiſsimè regnatis, vt complectamini quamplurimos. Non ad pauciores patrocinium, quàm imperium extenditis. Quid quod Catholicum nomen Veſtris quoque columnis impoſitum ſit, nec niſi his deiectis illius caſum, qui Eccleſiam in vobis oppugnant, hæretici ſperent? At ſi familiarum firmamentum religio eſt, mutuamque ſuis defenſoribus præſtat tutelam; dum prima illius cura erit, quidni ſitis æternitatis ſecuri? Nihil in humanis ſtabile, nec rarò Dominos mutauit orbis. Vt traiectos per quadrum radios in orbem deducens *Quadrata rotundis mutat* Sol, ita proſpera aduerſis, ima ſummis inuertere gaudet interdum, per quam Reges regnant, prouidentia; ſed & quomodo ſi vice versâ rotunda quadratis mutes, globumque in cubum formes, ſuam ei mobilitatem adimas; ita inſtabilem regnorum potentiam pietatis ac religionis ſtudium firmat. Chriſtiani conditor Imperij Conſtantinus quadratæ aræ mundi globum impoſuit, profeſſus orbis Imperium non tam viribus, quàm ſacrorum cultu niti; neque tam ab armis, quàm ab aris regnorum petendam tranquillitatem. Redactus ad quadrum globus operis mei argumentum eſt; ſit & Veſtræ felicitatis omen: quà modo caret ac termino Veſtram magnitudinem exhibet, quà ſtellis inoccíduis eum inſigniui, gloriam motus inter ac turbas non occubituram repræſentet: vtque rotunda quadrando ſuam illi volubilitatem ademi, ita fortunæ

in